

www.e-rara.ch

Biblia Sacra Hebraice, Chaldaice, Graece & Latine

Arias Montano, Benito

Antverpiae, 1569-1573

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Bibl 27-34

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-77665>

Philippus II. Hispaniarum rex Ferdinando Albae duci, suo apud Belgas praefecto, affini charisimo S.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

PHILIPPVS II. HISPANIARVM

REX FERDINANDO ALBÆ DVCI, SVO

APVD BELGAS PRAEFECTO,

Affini charissimo S.



NON es nescius, vt opinor, quantā Catholica Ecclesia perceperit vtilitatem ex præstantissimo illo Bibliorum trilinguū opere, Francisci Ximenij Cardinalis, atq. Archiepiscopi, dum viueret, Toletani singulari industria, & maximis sumptibus, iā ante multos annos Compluti excuso. Vix enim dici potest quam gratiam inierit, & quantā apud omnes sacrarum literarum studiosos præ cæteris auctoritatem obtinuerit. quod quidē vel ex eo aperte cognosci potest, quòd in tota passim Europa id ita feliciter distractū est, vt hodierno die, non modò non venale alicubi exhibeatur, sed vt ne vnus quidem illorum apud quos est, vt eo careat, aliquo pretio adduci possit. Ea quippe rerum pretiosarum solet esse raritas. Qua quidem ex re non minimū rei literariæ incommodum afferri palàm est. In finitos enim esse quorum studia, eo quòd tanto thesauro carent, retardantur, nemo est qui dubitet. Quamobrem cū à Christophoro Plantino ciue Antuerpiensi, de arte Typographica, vt accepimus, benemerito, opus Complutensi illi simile, aut illo etiam maius & elegantius parari intellexerimus, eiusque rei magnitudini hominum industriam, tum etiam diligentiam sufficere posse cognouerimus: ad Regiæ dignitatis, quam cælestis Maiestatis beneficio obtinemus, præcipuas curas maximè pertinere existimauimus, hac quoq. in parte, Christianæ Reip. non deesse. Re igitur cum supremi nostri & sanctæ Inquisitionis Consilij Præsidi, atq. aliis compluribus viris, quorum erga Deum pietatem, & erga nos fidem, & sacrarum literarum insignem peritiam iam diu cognitam perspectamque habemus, communicata; & nostro hoc consilio non solum omnium suffragiis valde comprobato, verum etiā summè collaudato: Deo nos opus gratissimum, Christianæ verò Reip. vtilissimum facturos existimauimus, si vt præstantissima ea Biblia linguarum diuersitate, characterum elegantia, ac omni denique ornatu & splendore illustrata in lucem prodirent, efficeremus, ac piis eius viri conatibus nostro auxilio & auctoritate adessemus. Vt igitur consilium hoc nostrum ad eum, quem optamus, finem perducatur: ex eorum sententia, qui à nobis ad hanc deliberationem adhibiti sunt, Benedicto Ariæ Montano Doctori Theologo ex aulicis & sacerdotibus nostris, cuius linguarum ferè omnium opportunam cognitionem, & bonarum omnium artium ac disciplinarum non vulgare peritiam, atque adeo insignem morum probitatem nobis abundanti exemplo, atque tibi omnibus his nominibus noto perspectam habemus, eius negotij executionem commisimus. Eum itaq. in istas regiones quibus tu nostro nomine præes, missum & auctoritate nostra communitum & nostro instructum consilio, vt ex diplomate quod ei dedimus, atq. ex ipso abundè cognosces, pro eo quo es erga religionem Christianam studio, atque erga nos reuerentia, & humaniter, & honorificè à te exceptum iri confidimus. Gratam certè nobis rem feceris, si, in iis quæ ad totius operis procurationem & incrementum, ipsiusque Montani commoditatem, aut etiam amplitudinem pertinebunt, ei non deeris. Simulac igitur ex hisce literis nostris totius nostri consilij rationem acceperis; Plantino quo loci fueris accersito, eique hac de re, voluntate nostra, præter eas quas ad eum dedimus literas, per te coram exposita, vt omnem operam & sedulitatem in toto hoc opere adhibeat, nostro nomine commendabis. Literas præterea ad Antuerpiensem Magistratum dabis, quibus, vt eo, quo decet, honore ipsum Montanum veluti ex familia nostra hominem excipiant, eiusque procurationem, quo ad fieri poterit,

commendatam habeant nostro etiam nomine significabis. Spes certè nos magna fouet, fore, vt hoc Christianæ Reip. adeo necessarium opus ad eum, quem speramus exitum feliciter, diuina fauente clementia, tandem aliquando perducatur, si tu, vt confidimus, quam in rebus nostris vigilantiam & curam ponere solitus es, hac etiam in parte adhibebis. Vale. Datum Madriti VIII. Cal. April. M. D. LXVIII.

EGO REX

Cayas.

PHILIPPVS DEI GRATIA REX
HISPANIARVM, VTRIVSQUE
SICILIAE, HIERUSALEM, &c.

Fideli nobis dilecto Christophoro Plantino
Typographo Antuerpiensi.



FIDELIS nobis dilecte, Ex literis à Caya datis, intellexisse te arbitramur, quantum nobis Bibliorum quinquelinguium, quæ ad Complutensis exemplaris formam excudere paras, & characteres ipsi, & specimen omne placuerit, quamq; vehementer consilium istud, inceptumq; tuum, ob communem Catholicæ Ecclesiæ utilitatem fuerit etiam probatum, dignumq; iudicatum, quod auctoritate dignitatèque nostra, atque omni opportuno subsidio prosequeremur, cum officij, studijq; nostri sit, diuinas res, & quæ ad veram pietatem, Catholicamq; Ecclesiàm pertineant, in primis procurare, promouere, & tueri. Quamobrem Benedictum Ariam Montanum, Doctorem Theologum, ex aula nostra sacerdotibus istuc cum literis, & commoda, ad eam administrandam rem, facultate, legare decreuimus. Ubi igitur consilij nostri rationem ex Albano Duce (qui nostro nomine, & belli et pacis rebus in istis regionibus nostris præest) atque ex ipsius Benedicti expositione cognoueris, gratissimum sanè nobis, atque ista tua in nos reuerentia et fide dignum officium feceris, si ad sacros libros, illis linguis et characteribus excudendos, omni diligentia atque opera perquam maturè accingaris, remq; ipsam ad eum, quem speramus, exitum perducas. Aderit tibi nostro nomine atque auctoritate ipse Benedictus Arias, cui cum et Theologiae facultatis, et linguarum non vulgarem peritiam esse cognouerimus, id cura atque oneris imposuimus (homini aliàs ex familia aulaque nostra, atque satis spectata erga nos fidei) vt te in ea re quàm plurimum, tum consilio atque opera, tum etiam recognoscendo opere ipso adiuuet. tibi autem voluntatem nostram obseruandam proponimus, nequid, videlicet, hac in adornanda atque expedienda impressione, præter eius Montani cognitionem sententiamq; fiat. Nam præterquam quod id operis ipsius magnitudo, grauitas, et dignitas, atque vniuersæ Christianæ religionis vsus postulat, nostræ etiam, de eo opere ornando atque amplificando, voluntati satisfiet. Et ea re, nos ad omnem honestam, opportunamque causam tuam, benignè paratos reddes. Datum Madriti, Octauo Cal. April. M. D. LXVIII.

Philippus.

Gab:de Cayas.